



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

6. Vtrum materia sit principiu[m] iudiuiduationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

simul comparibiles, & Angelus de facto existens non sit comparibilis cum vilo ex illis: Respondeo rationem esse quia Angelus de facto existens habet totam existentiam, quæ potest competere tali speciei quoad omnes gradus possibiles eiusdem, unde existente ipso non potest existere vllus alius Angelus eiusdem speciei, quia scilicet non potest habere vllum gradum existentie, cum omnes habeat Angelus de facto existens. At si annihilaretur Angelus de facto existens, potuisset Deus creare alium Angelum, & dare ipsi partem tantum istius existentie, & consequenter posset simul creare alium Angelum intra eandem speciem, cui communicaret aliam partem eiusdem existentie.

Posset confirmari hæc doctrina, quæ multis apparet irrationabilis, hoc modo: est possibile aliud indiuiduum distinctum à Petro, qui constat eadem materia numero qua constat Petrus; & tamen non potest simul existere cum Petro, quia eadem numero materia non potest esse simul in duobus indiuiduis, potest tamen seorsum: ergo similiter, quantumvis esset possibilis alius Angelus distinctus ab Angelo, qui de facto existit, non tamen potest simul cum ipso existere, si aliquis ex his habeat omnes gradus possibiles existentie correspondentes isti speciei.

CONCLUSIO I.

39. *Existentia non est principium formale indiuiduationis.* Est communis cum Doct. 2. d. 3. q. 3. Probatur primo, quia indiuiduum, ut tale etiam, ponitur in prædicamentis, ergo quidquid concurrat ad eius constitutionem, debet in ipsis poni: sed existentia non ponitur in prædicamentis, omnia enim prædicamentalia abstrahunt ab existentia: ergo non est principium constitutum indiuidui.

Confirmatur, quia Petrus est distinctus numero à Paulo siue existat, siue non: ergo illud, quo constituitur distinctus, non est existentia.

Probatur secundo, quia existentia formaliter non habet alium conceptum quam facere rem existentem: ergo non habet formaliter constituere rem distinctam numero ab aliis rebus, & consequenter non est principium formale indiuiduandi.

Probatur tertio, quia non potest intelligi quod existentia adueniat aut possit aduenire nisi rei singulari ac indiuiduæ: ergo præsupponit principium indiuiduationis, & consequenter non erit principium indiuiduationis aut radicale aut formale.

Obiicit: actus est, qui distinguit: ergo ultimus actus est qui ultimo distinguit: sed existentia est ultimus actus rei, ergo est quæ ultimo distinguit rem, & consequenter est principium indiuiduationis: principium enim indiuiduationis est principium ultimo distinctum rei.

Respondeo concedendo totum vsque ad ultimum consequens, quod nego, & distinguo eius probationem: ex his quæ ponuntur in prædicamento, concedo; ex aliis, nego & quod ultimus actus quomodocumque non sit principium indiuiduationis, patet, quia aliàs accidentia essent principium indiuiduationis, quia ultimatus & posterius actuant rem, quæ existentia, ut patet, & tamen secundum aduersarios non sunt principium indiuiduationis.

CONCLUSIO II.

40. *Quamuis existentia esset principium indiuiduationis, adhuc falsa esset sententia Agidij, quod scilicet non possit existere cum vilo Angelo de facto existente alius eiusdem speciei Angelus, licet eo destructo possint existere duo Angeli eiusdem speciei cum ipso.* Hæc etiam est communis, & Probatur primo, quia sine fundamento asseritur, quod vnus Angelus de facto existens habeat omnes gradus existentie competitibiles illi speciei.

Probatur secundo, quia nulla res existens potest habere plures gradus existentie quam alia res: ergo si duo Angeli eiusdem speciei cum Angelo de facto existente possint simul existere eo destructo, etiam possunt existere eo non destructo. Consequentia est euidens ex fundamento Agidij. Probatur antecedens, quia omnes res æque perfecte existunt, quando existunt: ergo nulli

rei competunt plures gradus existentie quam alteri. Probatur antecedens, quia omnes res existentes creatæ sunt æqualiter extra suas causas, & quoad hoc non potest dari inæqualitas respectu earum; quod maxime locum habet in Angelis, & rebus dependentibus in esse & conservari à solo Deo.

Confirmatur hoc, quia si fuisset Angelus habens duos gradus existentie, & alius habes tres, non posset ostendi ex quo capite vnus perfectius, siue extensius, siue intensius existeret quam alius: ergo male dicitur quod vnus Angelus habere possit perfectiorem siue extensius siue intensius existentiam quam alter Angelus.

Confirmatur secundo, quia tertius gradus existentie esset omnino frustraneus, & nullum haberet effectum: ergo non est dicendum quod de facto Angelus existens habeat plures gradus existentie.

Probatur tertio, quia si Angelus de facto existens haberet omnes gradus existentie, qui posset competere illi speciei, haberet infinitos gradus existentie actualiter: sed consequens est absurdum; ergo & antecedens. Probatur sequela, quia sunt infinita indiuidua istius speciei possibilia, & cuilibet correspondet sua propria existentia: ergo si illud vnum indiuiduum habet omnes gradus existentie, quæ possunt competere omnibus indiuiduis istius speciei, habet infinitos gradus.

Denique illa sententia supponit existentiam esse realiter distinctam ab essentia: sed hoc falsum, ut ostendimus: ergo illa sententia, quæ ab hoc dependet, est falsa. Adde aduersarios nullum habere pro se fundamentum.

QVÆSTIO VI.

Utrum materia sit principium indiuiduationis.

41. *Magis frequens est opinio inter Thomistas, quod principium indiuiduationis sit materia prima; quam tamen sententiam, utpote difficillimam, non eodem modo explicant omnes, nam aliqui, ut Capreol. Ferrar. Soncinas dicunt materiam signatam quantitate; hoc est stantem sub dimensionibus terminatis ita esse principium indiuiduationis, ut ipsa materia sit id, quod dat indiuiduum suam incommunicabilitatem, quantitas vero det ipsi distinctionem.*

Alij putant, ipsam materiam non ut affectam quantitate, sed ut est in potentia ad quantitatem: esse indiuiduationis principium, & hoc est quod intelligunt per materiam signatam. Ita sentiunt Agid. Iuell. Bagnes, Zumel, & aliquando etiam Caietanus ita sentit, licet postea hunc dicendi modum improbauerit asserens per materiam signatam intelligi materiā, ut est fundamentum, radix, & causa quantitatis: in hoc autem discrepat hic modus à priori, quod in priori, per materiam signatam intelligatur materia cum potentia formaliter accepta ad quantitatem; in posteriori vero intelligatur materia cum potentia radicaliter accepta.

Ioannes à sancto Thoma q. 9. de Generatione, ubi tractat hanc controuersiam art. 4. dicit materiam signatam esse materiam, ut dicit ordinem non actuale, sed aptitudinalem ad quantitatem, ut diuidentem & separantem. In quo modo dicendi an cōueniat cū vllis ex prædictis auctoribus, an ipse nouā viam excogitauerit, nescio, & perinde est ad propositum; ipsemet satis confuse rem explicat.

CONCLUSIO I.

42. *Materia absolute sumpta non est principium indiuiduationis rerum materialium.* Est communis cum Doctore supra q. 5. Probatur primo, quia quod est intrinsecum naturæ specificæ, ut talis, non potest esse principium indiuiduationis, ut supra ostensum est: sed materia est de intrinseca ratione naturæ specificæ materialis: ergo. Probatur minor, quia secundum Philosophum 7. Met. tex. 39. ex materia & forma in vniuersali fit homo & animal in communi, ex materia verò & forma in particulari fit homo & animal in particulari.

Dicitur: ex hoc tantum sequitur quod materia in vniuersali non sit principium indiuiduationis, non vero habetur quin materia particularis, seu singularis sit tale principium.

Contra,

Existētia non est principium formale indiuiduationis.

Si non potest multiplicari species Angelica actu existēs, non posset, si destrueretur.

Nulla res existens habet plures gradus existentie quā alia.

Materia absolute sumpta non est principium indiuiduationis.

Contra, quia saltem habetur, quod detur materia in communi & materia particularis, seu singularis: ergo materia in communi debet habere aliquod principium indiuiduationis: sed illud principium non potest esse materia, ut patet; & consequenter materia non est principium indiuiduationis; illud enim, per quod indiuiduatur ipsa materia, est potius principium indiuiduationis, quam ipsa materia.

Probatur secundo, quia si materia, siue in communi, siue in particulari, esset principium indiuiduationis, sequeretur genitum & corruptum habere vnicum principium indiuiduationis, & consequenter esse vnum indiuiduum, quod est absurdissimum. Probatur sequela, quia quando generatur ignis ex ligno, eadem numero materia, quæ erat in ligno, postea est in igne: ergo, si materia esset principium indiuiduationis, ignis & lignum haberent vnum numero principium indiuiduationis. Hoc argumento coacti sunt Thomistæ, ad asserendum quod materia non quomodocumque, sed signata, sit principium indiuiduationis: contra quod sit

CONCLUSIO II.

43. Materia signata non est principium indiuiduationis rerum naturalium. Est communis cum Doctore supra contra Thomistas. *Probatur*, quia vel per materiā signatam intelligitur materia, ut affecta quantitate, vel materia ut dicit potentiam formaliter ad quantitatem, vel materia ut dicit potentiam radicalem ad quantitatem: sed neutro horum modorum potest materia esse principium indiuiduationis: ergo. Probatur minor quoad primam partē, quia materia ut affecta quantitate est ens per accidens: sed ens per accidens non potest esse principium constitutum entis per se. Et hoc eodem argumento impugnatur secundus modus, quia materia, ut dicit potentiam formalem, est etiam ens per accidens, maxime secundum aduersarios, qui dicunt potentiam illam formalem esse, vel de prædicamento qualitatis, vel de prædicamento quantitatis, materiam autem de prædicamento substantiæ. Probatur minor quoad tertiam partē & etiam quoad secundam, quia materia prima non habet à se ipsa illam potentiam siue formalem, siue radicalem, alias omnes materiæ haberent eandem signationem, cum omnes sint eiusdem speciei, quod est absurdum: ergo ab aliquo alio, & consequenter illud aliud potius erit principium indiuiduationis quam materia prima, quatenus habet illam potentiam, siue formalem, siue radicalem.

Confirmatur hoc, quia sicut secundum aduersarios illud est principium radicale indiuiduationis, ratione cuius competit rei sua indiuiduatio, ita etiam illud debet censerī esse principium indiuiduationis materiæ, ratione cuius competit ipsi sua signatio.

44. Probatur secundo conclusio, quia per materiā signatam non potest intelligi, nisi materia cum quantitate habente talem dispositionem partium suarum; vel materia ut dicit ordinem aut capacitatem siue formalem, siue fundamentalem, ad talem quantitatem: sed materia, ut habet talem quantitatem cum tali ordine partium, & ut habet capacitatem tam fundamentalem, quam formalem ad illam quantitatem, potest esse in diuersis indiuiduis tam numero quā specie distinctis: ergo non potest esse ut sic, principium indiuiduationis istorum indiuiduorum. Consequentia est manifesta ex secunda probatione primæ conclusionis, & quia ideo recurrunt aduersarij ad materiā signatā, & non ad materiam secundū se, quia materia secundū se potest esse in diuersis indiuiduis: ergo si materia signata potest esse in pluribus indiuiduis, frustra recurritur ad illam. Probatur ergo minor, quia sicut est eadem numero materia, quæ est in genito & corrupto, ita non potest ostendi, cur eadem numero quantitas non potest esse in illis, præsertim si quantitas subieceretur in materia prima; quod si quantitas non subieceretur in materia prima, quamuis possit ostendi ratio, cur eadē numero quantitas nō posset in esse genito & corrupto naturaliter, quia scilicet non potest naturaliter accidens transire de subiecto in subiectum; tamen non potest ostendi cur eadem

numero quantitas supernaturaliter non posset esse in genito & corrupto: atqui si eadem numero quantitas subieceretur in diuersis, eadem ratione posset habere in diuersis eandem omnino positionem partium inter se inuicem. Quod si indiuidua diuersæ speciei requirant in materia sua diuersam signationem; (quod ipsum etiam facile ostendi nequit) certe, quod indiuidua eiusdem speciei id requirant, gratissime, & sine vilo proflus fundamento asseritur.

45. Probatur tertio, quia quæro, quid formaliter det materiæ talem vel talem significationem? non quātitas talis, tum propter rationes quibus probatum est, quantitatem non esse principium indiuiduationis: tum quia ipsa quantitas præsupponit materiam taliter signatam: neque aliquid aliud potest assignari, quod sit ratio seu principium, unde materia habeat talem assignationem, nisi quod materia sit singularis; ergo materia habet singularitatem antecedenter ad illam signationem, & consequenter materia ut signata, quomodocumque hoc intelligatur, non est principium indiuiduationis.

Respondet ad hoc Ioannes à sancto Thoma, quod materia habet hanc assignationem à quantitate, ut diuidens & separans, & quod tamen quantitas ut informans indiuiduetur à materia sic, ut vnum indiuiduetur ab altero in diuerso genere causæ.

Contra, quia implicat ista mutua dependentia in diuerso etiam genere causæ, ut suo loco probabimus in Physica.

Contra secundo, quia materia potest esse singularis realiter absque vlla quantitate existente: ergo nullo modo habet indiuiduari à quantitate sub vlla consideratione.

Contra tertio, quia eadem numero quantitas potest esse in diuersis materiis, & eadem numero materia sub diuersis quantitativibus: ergo non habent à se inuicem indiuiduationem.

Probatur quarto: formæ substantiales & accidentales non indiuiduantur per materiā signatam, neque formaliter neque radicaliter: ergo materia signata non est principium radicale, aut formale indiuiduationis omnium rerum materialium: consequentia est euidentis: antecedens probabitur postea.

Probatur quinto, quia sicut intelligi potest quod materia prima, aut quantitas indiuiduetur seipsa: ita etiam potest intelligi quod forma substantialis & quæcumque alia res materialis indiuiduetur seipsa: ergo sine fundamento asseritur quod materia prima, quomodocumque considerata, sit principium, siue radicale siue formale indiuiduationis.

46. Obijciēs: Philosophus 5. Met. c. de Vno. Vñ numero, inquit, sunt quorum materia est vna, & primo de celo ait: Cum dico calum, dico formam; cum dico hoc calum, dico materiam, & 12. Met. ait esse plures celos ratione materiæ: ergo multiplicatio numeralis prouenit à materia vel formaliter vel radicaliter. *Confirmatur*, quia 12. Met. tex. 49. ait: quæcumque sunt multa numero, materiam habent.

Respondeo primo, si non posset explicari Philosophus commode, potius esse absolute negandam eius auctoritatem, quam propter eam solam tenendum esse oppositum conclusionis nostræ contra tam manifestas rationes, & cum tanta difficultate satisfaciendi ipsis, quam experiuntur aduersarij.

Respondeo secundo cum Doctore, Philosophū in omnibus locis, in quibus attribuit multiplicationem numeris solis rebus constantibus materia, non intelligere per materiā, materiam primā physicā, sed materiam metaphysicā, id est hæcēitatē, quæ propter proportionē, quam habet cum materia prima physica, vocari bene potest materia: proportio autem illa consistit potissimū in hoc, quod quemadmodū materia physica non dat esse principale cōposito physico, ita nec singularitas dat esse principale indiuiduo, cum non sit de ipsius essentia.

Confirmatur hæc responsio, quia certū est Philosophū non semper capere materiam pro materia physica, ex 5. Met. tex. 10. ubi dicit quod homo & equus & canis sunt vñ, sicut illa sunt vnum, quorum materia est vna: hic capit materiā pro genere ita, ut sensus sit quod illa

M

sunt

Materia signata non est principium indiuiduationis.